

Wilhelm David Habermann

**Immortalem Animæ cum suo pulvere Sympathiam, oriundam â Christo
Resurgente, Civibus Academiæ piè æstimandam**

Rostochii: Typis Joh. Weplingi[i], [1709?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003464947>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—
1709 Ostern

~~A4-1258. #5.~~

071.1709.

Immortalem Animæ
cum suo pulvere
Sympathiam,
oriundam
â

**CHRISTO RE-
SURGENTE,
CIVIBUS ACADEMI**

piè æstimandam

P. P.

RECTOR

Universitatis ROSTOCHIENSIS,

WILH. DAVID HABERMANN

Medic. D. ejusque Profess. & Poliater.



ROSTOCHII,

Typis Joh. Wepplingi, SER, PRINC. & Acad. Typogr.



M. 1256 115

Fallitur omninò Anima Rationalis (omnium motuum, qui in Corpore nostro fiunt, *unica & immediata causa*) si hoc sibi unicè negotii datum crediderit, ut fragilis & putridi solum corporis vanam architecturam per tempus exerceat, deinde verò tandem, unà cum hoc suo corpore esse destinat. Alia utique fuit SAPIENTISSIMI CREATORIS intentio, qui animam absolutè intelligendi sine condidit; nimirum ut intelligat omnium rerum *unam, solam, aeternumque subsistentem Causam*. Sed cum hunc scopum & absque corpore obtinere possit; *in quos usus fecit sibi Anima tanto apparatu, conatuque corpus?* Nimirum ut SAPIENTIÆ DIVINÆ Existentiã primò *ex se*; deinde & ex Corporibus Mundi infinitis, **ILLAM ESSE IMMENSAM** cognoscat. Et ideo Animula in utero Matris suæ fabricat sibi ipsi **IUSSU DEI** corpusculum suum; non vero matris Anima; neque **DEUS** immediatè concurrat ad hoc opus (Iussu enim suo Gen. I, 22 28 tum produxisset nil) neque figuræ exilissimæ membrorum corporis latent in ovariiis faminæ (adhuc Virginis) à **DEO** immediatè formatae in prima creatione: (id quod satis demonstrant *Monstra*, [quæ producta sunt utique immediatè ab Ente erroribus & impedimentis obnoxio] & *conjunctiões* Sodomiticæ hominum cum brutis, unde (ex mulieribus quidem) *Semibruta* Lang. Ep. 9. L. 2. Ex Brutis rationales & pulchri pueri, qui honesti viri facti, *Höpfner. ep. ad Gregor. Horst. Del Rio disquisit. Magic. Lib. II. c. 4. Casp. Reyes camp. juc. qualt. n. 45. §. 31. &c.*) Anima Rationalis nimirum immediatè (sine omni ope Spirituum) idque ante omne experimentum & insciè & absque omni ratiocinatione, ex Massæ Sanguineæ gelatinâ seu lymphâ, atomos subtilissimæque puncta seligit, eaque ita in dextra ut in sinistra parte, (non lane fortuito sed juxta intellectum seu inditam sibi à SAPIENTIA DIVINA ideam & provi lè ob certum finem) disponit; atque ex machinulis infinitis, non simul, sed *successivè* (testibus microscopiis) & ordine, de parte ad partem sibi admirandam machinam construit. Et hæc actio Animæ primæ, sed admiranda & imperscrutabilis sibi ipsi, est illa Demonstratio EXISTENTIÆ DIVINÆ, cordibus hominum inscripta prius, quam ab ipsa Anima (per ratiocinationem) intellecta. Verum non ex unica prædictâ, sed Demonstrationibus infinitis Anima intelligere debebat **DEI SAPIENTIAM** esse **INFINITAM, IMMENSAM & OMNIPOTENTEM**; utpote **QVÆ** paria ubique non minus admiranda in corporibus hujus Mundi effecerit, sed *methodò infinite diversâ*. Et ideo Anima sibi ex hujus Mundi corporibus struxit Corpus seu Microcosmum, cui inhabitaret, & per quod intimè perciperet admirabiles corporum proprie.

proprietates, ordines, formas, revolutiones, eorundemque Sympathias
omni modo providentissimas; quas secum, interque se invicem obtinent
nempe quas propter finem non solum singulorum, sed & *communem huius*
ius Universi ipsis indidit SAPIENTISSIMUS MUNDI CONDITOR.

Quo Scopo obtento Anima, ab hac sua energia, admiranda nimirum Ar-
chitecturâ, sensim cessat: hoc suum corpus seu domicilium deserit, quod
moritur, putrescit & dissolvitur in vapores & pulverem: ipsa vero hâc
sua una energiâ *amissâ* vel potius *omissâ*, quoad substantiam suam pro-
pterea superesse & reliquos suos agendi sentiendique conatus in ætærum
deducere non desinit. Sed quemadmodum esse, subsistere, & archite-
ctari potuit *ante existentiam sui Corporis*; ita & post mortem (sui dicti
corporis) omnino superesse & agere potest. Imò notabile est, quod pa-
rentes, quibus membra quædam insignia e. g. brachia, pedes &c. Spha-
celata h. e. morte re vera partiali corrupta & amputata sunt, nihilo se-
gnius ut antea bene conformatos, & omnibus membris viribusque debi-
tis instructos progignant liberos, ingenio & lineamentis exacte sibi si-
miles; inde luculenter apparet, Animam in læsione Corporis insigni,
mansisse illæsam. Neque Anima à corruptione sui Corporis detrimen-
tum capere potest, quia est *substantia immaterialis*. Mirum sane, quod
hanc *Immaterialitatem* Animæ tot insignes Philosophi, quasi abhorren-
tem à conceptu rationali, negaverint; cum tamen *vis immaterialis* præ-
ter extensionem, imò *extensione seu quantitate prior*, indita cuicumque la-
pidi probari imò demonstrari queat. Vid. *Celeb. Leibnitzi Specim. Dy-*
namicum, in Act. Lips. 1695. April. Imò posito, quod Anima sit materialis,
non tamen inde sequitur, quod sit *corruptibilis*; dantur enim materiæ
e. g. Aurum, Talkum &c. quæ neque per ærem neque violentissimum
ignem corrumpi possunt; Sic Astra, sol, terra, (corpora utique) in hunc
usque diem per 3850. annos superfuere, tam quoad substantiam quam
motum suum immutabiles. Et quidni Anima, quæ per 70-80. imò 900.
(& ultra) annos, reverâ conservare potuit corpus humanum (ad corru-
ptionem summè (intra aliquot horas etiam) proclive) etiam incorrupti-
bilis, post corporis sui corruptionem superesse possit?

Sed obijciis: Anima patitur, læditur, laesatur, viresque insigniter
amittit usque ad Delirium, quando sc. eximie diu & profundè maxime
in senectute cogitat. Verù non tam Substantia Animæ læditur, quam ipsius
potius *naturalis intentio* impeditur: nam quia Anima duobus vel pluri-
bus actibus eodem tempore intenta esse eximie non potest (quod ex in-
fra dicendis apparebit) hinc accidit, ut inte rea temporis, dum cogitandi
exercet eximie actus obliviscatur negligatque debitam humorum di-
spensationem circulationemque, pro conservatione sui corporis neces-
sariam:

sariam : quam primum vero, ex tali neglectu corpori suo impenden-
tem ruinam sentit, statim iterum subito cogitandi negotium deserit, imò
ipsa organa sensuum nervosque destituit, (hoc est vires amittas simulat)
restauratura omni intentione & sollicitudine, quicquid neglectum vel
deperditum erat in æconomia vitali. Tum nimirum vitam quasi em-
bryonis, iterum vivit; hoc est: non movet membra, non ratiocinatur,
non vigilat, non nisi obtuse sentit; omni vero conatu conservat nutrit,
augetque corpus. Tristetur ergo Anima, doleat, lædatur anxiaque sit &
patiatur; secundum suam tamen substantiam est impatibilis; patitur
vero unice secundum *suas intentiones, & actus*. Exemplo id notabili
comprobabo: notorium est enim, quod multi dentur homines, qui di-
versa animalia e. g. feles vel mures adeo extimescant, ut (non solum ad
immediatum illorum contactum) sed ad illorum è longinquo præsentiam
& distantiam insignem, anxietatibus affligantur maximis, & in animi
deliquium cadant ex causa sibi ignota; (nesciunt enim felem adesse)
hoc pathetia homines alii mirantur & rident; causam hujus aversionis
(falsæ utique, animalia enim sunt innoxia & minime tam venenata) ha-
bent ex utero suæ matris: terrorem enim gravidæ obvenerat ab hisce ani-
malibus, (imò falsus & imaginarius terror, timuerat enim tantum mor-
sum horum animalium, quæ non aderant) Imaginatio gravidæ territa,
tanto metu & aversione (inani & fictitio) firmiter imbuere animam te-
nellam, fatus poterat. Inde sane apparet, quod interitum essentia Ani-
mæ non portendant, quæ Animam in terrorem agunt etiam usque ad
mortem; Quare ergo adeo mortem horret Anima? cum sciat quod
sit Substantia, in se continens directionum, intentionum agendi que co-
natum multivariarum, ferè dixerim infinitorum, quasi congeriem? O-
mittat Anima nostra vel obliviscatur & jussu DEI non exferat illum uni-
cum primumque, sed & ignobiliorem suum conatum, conservandi suum
corpus: non certe ex omissione alicujus potentia de ejus statim amissio-
ne & non existentia; multo minus ex omissione unius potentia & de o-
mnium reliquarum interitu concludendum est. Quod autem Anima di-
versas suas vires, quas in se verâ habet non statim simulque omnes
exferat; sed dum quasdam (ad certam temporis mensuram) in actum
eximie deducit, reliquas interea vel plane omittat vel non eximie exferat
teqq. probant.

Nam omnium primò Anima sibi membra corpusque format in u-
tero, illa verò circa 20. septimanam demum, non prius, movere incipit;
circa 14. annum ordinariè incipit sese multiplicare h. e. generare; circa
49. hæc generandi potentia ut plurimum desinit, præsertim in foeminis,
ass vitæ & ratio durat. Quomodo porrò Anima suum sibi corpusculum
for-

formet in utero matris jam supra dictum; imò quomodo ex Matris irâ,
 desideriis, terroribus ingentibus & ipsa animula infantis turbetur, &
 partes suas, quas etiam bene formaverat (ultimis enim mensibus gravi-
 dationis, & fœtu jam absoluto tale quid frequentissime contingere solet)
 iterum destruat, corpusque suum vel membris quibusdam mutilum re-
 linquat, vel plane *alienas & monstrosas partes iterum (in priorum locum)*
substituat & de novo formet experientia indubia tot exemplis probavit.
 Hæc tamen formandi, dissolvendi & reformandi potestas dictæ Animæ
 tamdiu durat quamdiu est in utero Matris suæ, post vero cessat: in a-
 dultis enim membra illa quæ ipsis sunt amputata non reparantur, licet
 anima eadem quæ prior fuerat, supersit; Sed tum nobiliores actio-
 nes scilicet *intelligendi & ratiocinandi* exercere incipit. Perpetuo enim
 quando Anima à viribus suis ignobilioribus (soli corporis structuræ
 debitis) aliquo modo abstinet, reliquas suas vires excellentiores & plane
 diversas admirandum in modum in actum deducit. Quomodo enim
 Animula in exordio sui corpusculum suum brevi tempore admirandum
 in modum augere queat, ita ut quod primis diebus referebat magni-
 tudinem feminis anisi, septimo mense obtineat magnitudinem 15. polli-
 cum h. e. quartam fere justæ virilis stature totius partem; experientia
 docet. Quæ vero subitanea in longitudinem augendi vis magis magis-
 que minuitur, *quo magis se ratio exserere incipit*, imò post 25. annum pla-
 ne cessat: Ratio vero (quæ in infantia Animæ, præsentis suæ nulla vel
 paucissima dabat signa) tum sensibiliter excellentior evadit, & vires ac-
 quirat usque ad 49. annum; quo tempore ratio est in sua quasi exalta-
 tione summa; tum autem cessat plane ab omni augmentatione corporis,
 illudque solum & unice conservare nititur. Interdum quidem ante tem-
 pus à consueti suo ordine digreditur Anima e. g. quando in puerulis
 ultra ætatis sortem deprehenditur crescens ingenii vis, (quod sane vim
 rationis animæ insitam demonstrat) tum verò non de futuræ præmatu-
 ræ mortis certum indicium apparet: anima enim nimium circa ingenii
 negotium occupata, negligit corpori conciliandum durabile debitumque
 robur. Ex hisce demum subsumptio fiat, quantas anima vires obtineat si
 ab actionibus & sensationibus (ob corporis machinam conservandam
 necessario suscipiendis) penitus abstinere (salva corporis sanitate) pos-
 set? Hoc ipsum demonstrat *somnus*, (vera mortis imago, maximaque
 mentis securitas & tranquillitas) in quo adeo excellenter sæpe sese intel-
 lectus exserit (quia tum anima à corporeis se sensibus externis abstrahit)
 ut per Somnia, futurum sanitatis statum, tempusque imminentiū mor-
 borum, imò diem mortis, aliaque, diu ante dijudicare possit. Inde meri-
 to concludo, quod anima possit motus, actus, intellectum sensusque suos

(quæ communiter in hac vita peraguntur per membra Corporis) etiam absque suo Corpore exercere. Imò quanta sic animæ & in remota, vis, & quomodo extra suum corpus in hac vita agat sentiatque, ad oculum demonstrant actiones animæ Sympatheticæ: unicum saltem Sympathiæ manifestum exemplum, quod in dubium nisi à valde imperitis vocari nequit, adducam. Si scilicet Sanguinis, qui ex corporis quadam parte effluxit, portio adhuc calida, linteo excepta, igni (insigni etiam intervallo distante ab ægro) injiciatur: Sanguinis fluxus simul ac ille Sanguis cum linteo fuerit combustus, sedatur. Et pulvis ex Veneris Vitriolo in sistendo sanguine efficax est, si saltem portio ejus in aqua dissolvatur, in quam mediocriter calidam sputum suum Sanguineum injiciat ager, misceatque. Hæc & plura vid. in Celeber. Stablii dissert. de sens. natur. circa cur. incongr. Quæ satis probant, quod anima Immaterialis, (Spiritus utique penerrantissimus) corpore suo (porro undique) non sit conclusa; sed uti DEUS non in Mundo; sed Mundus in DEO; ita potius corpus contineatur in anima, operante et sentiente revera extra corpus & absque organis corporeis. Si ergo anima tantas habet, à corpore suo nullo modo dependentes vires, quare Mortem, (quæ etiam physicè & hoc modo spectata reverà non est formidabilis) adeo horret ratio? nonne ideo quod anima sibi ipsi sit ignota, nesciatque nobiliores suas vires, & quod vitalis appetitus sit potentior Ratione? Qui vitalis appetitus in ipsa incipiente animæ à Corpore suo separatione (tranquilla scilicet & lenta, hoc est naturali; non violenta & præmatura) sæpius etiam juxta ordinem naturæ minuitur: hincque contingit, quod sane mirum, ut corporis vitio crescente mortis metus minuat, mentis verò vires augeantur, & sub mortem majores fiant, adeo ut ægri multi sibi (& quidem intrepidè) horam etiam mortis ipsam, contra Medicorum opinionem, prædicere potuerint, vid. Pechlin. obs. 2. L. 3. & Arætax Medicus antiquissimus Lib. 2. de sign. & caus. acut. c. 3. (quem citat Caldera de Heredia in Tribun. Magic. Medic. p. 11.) Illi, inquit, quibus laborat cor (lethaliter) sensus aciem exquisitiorem consequuntur, sunt enim animo puriori & mente firmiori, proinde non tantum presentia declarant, sed & futura prædicunt. c. 4. Ubi ex Febre Ustorta talis Syncopa incidit, animus stabilis & constans est, sensus purus & integer, subtile ingenium, mens vaticinando idonea: primum quidem se ipsos e vita migraturos præsciunt, deinde & presentibus futura denunciant. An illa hoc in loco allegata futurorum prædictio, sit ultra imminuentis mortis determinationem extendenda, jam non disputabo: firmitas tamen & constantia mentis ab auctoribus citatis aliisque observata, mortisque contemptus animæ naturalis esse

(si

(si ejus conscientia illaesa) utique potest. Quid enim causa est, quod in morborum initio & augmento adsint maximi dolores, anxietates deliria; & cum his maximus mortis timor: in morborum vero eorundem ad mortem tendente summo gradu, talia plane absint? (ut omnino observatur perpetuo in tranquille morientibus) imò quod in animi deliquis profundissimis diuque durantibus, non solum nil mali vel doloris, sed etiam miram sentiant intellectus voluptatem tranquillitatemque ineffabilem, adeo ut excitati ægrè ferant, gemantque, tantam voluptatem sibi ereptam esse (Vid. Blegny Zodiac. Med. Gallic. 1680. Januar. & Ephem. German. Medic. Dec. II. A. l. p. 181.) quam certe voluptatem in animâ & per animam sentiunt; non per Corpus summè corruptum. Nimirum anima sensim corpus suum, quod tanta Sympathia amavit, vel desperabunda (ob insuperabilem corruptionem) vel tædio affecta deserit, & in hac sua naturali Ecstasi modo tranqvilliori excellentiorique actus suos exorditur.

Hi Excellentes animæ actus sunt omnino *intelligere, sentire* hoc est *experiri*; intelligendi enim sine animam esse conditam supra dixi. Sed cum insita intelligendi sentiendique vis, secundum perfectionem suam naturalem in hac vita (ob impedimenta supradicta) in paucissimis individuis se tantum exerere possit; ergo vel frustra data esset, vel datur tempus quò in actum deducitur sine impedimentis. Et hoc est illud tempus *alterius vitæ*, in morte suam principium obtinens. Quis ergo dubitet, animam esse substantiam immortalem, quæ post mortem sui corporis sentire & agere possit? creditum id quidem Pythagoræ, aliisque sapientibus Paganis tanquam summè probabile est: videbant enim JUSTITIAM DIVINAM ex gestatione ignitorum vomerum; ex indicis diluvii universalis adhuc apparentibus; Patrum traditionibus, rationis conscientiaque dictamine, ex adversa fortuna bonorum, malorum vero hominum felicitate & sceleribus in hac vita impunitis: hinc ratiocinabantur de tempore præmii pænæque post hanc vitam. Sed recuperaturam esse animam corpus suum pristinum, vano somnio vanius existimarunt, & etiamnum intus rident Athei; soli vero credunt sperantque Christiani. Transcendit quidem hoc grande Mysterium omnem nostram Rationem, non tamen illi ceu plane absurdum contrariatur; sed ipsa anima, dum indolem sui ipsius considerat, inde non quidem ipsam methodum
Omni-

Omnipotentia Divina imperferabilem intelligit; sed saltem in eadem typos quosdam invenit, veritati assensum præbentes & possibilitatem efficaciter probantes, rationemque moventes. An hoc absurdum; quod in anima illa pristina potentia (architectandi sibi ex atomis corpus) à DEI SPIRITU vel reparatur vel exaltetur; vel quod anima architecturae suae prædictae post multa secula NUTU DIVINO recorderetur? Videmus enim quod nævi hæreditarii & gentilitii, lineamentorumque faciei, morum ingeniorumque similitudines, in filiis quidem non appareant, quasi defissent; sed in nepotibus, serisque posteris iterum post multas generationes denuo emergant: annon, quod anima idearum sibi impressarum obliviscatur? omnino, sed aliquamdiu tantum; reminiscitur enim sæpè virium pristinarum suarum, quod & *rejuvenescencia* exempla probant. Cineres ais per elementa in infinitum dispersos dudum esse? considera quomodo Chymici auri argentique atomos terræ cineribusque diffusissimè mixtos, in unam mediante argento vivo massam pristinam colligere queant: quomodo argenti portio per Spiritum Nitri in atomos planè invisibiles dissoluta, & insigni aquæ & terræ quantitati remixta, per mercurii additi portiunculam recolligatur, resurgatque & crescat ad oculum subito in formam elegantissimi arboris vel fruticis; quare parem potentiam animæ nostræ post mortem revera viventis ab eadem CAUSA PRIMA oriundam denegamus? Quis scire potest, quæ methodo canes suo adoratu, heri sui longè absentis vestigia, tot hominum vestigiis mixta, in publica (ventisque diu exposita) via discernere queant? nonne hinc discimus, quod sicut corpus à corpore lineamenti & vultu; ita quoque humores vaporesque in vestigiis hærentes, cineresque & terræ, in suâ intimiori subtilissimaque mixtura atomorum, differant in individuis? Quidni & anima nostra, subtiliori longè sensu & efficaci magnetismo post mortem corporis IUSSU DEI ad hoc negotium instructa, dispersos suos cineres, tantopere olim adamatos agnoscere, & si DEO hæc methodus placuerit, recolligere queat?

Quid ergo vel dubitas vel ingemiscis, tristis Anima corruptioni tui Corporis? Veniet certe DIES, quo dispersi cineres tui ad unum omnes audient vocem DOMINI,

MINI, & procedent ex tumulo patefacto. Joh. V. nec aliud
sed idem quod nunc habes, reparabitur Corpus ; idem erit
vultus , idem color & temperamentum , statura eadem ; quod
violentus casus abstulit , dolor consumpsit , morbus senis
umque hausit , reparabitur omne ; sed sine deformitate &
nævis , incorruptibile , in pulchritudine perfectione & gloriâ.
Tum ex carne hac tua DEUM videbis, oculi tui videbunt
& non alius Job 19. Imo jam venit ILLE DIES, quem DOMINUS
fecit, venit illud sacratissimum RESURRECTIONIS CHRIS-
TI Tempus, quod omnibus nostris malis solatia , immor-
talia gaudia lætissimæque spei possessionem ipsam attulit.
Venit DIES, qui Lucem intulit , discussis mortis tenebris,
O illustriorem Diem & præferendum ipsi Primo Orbis Na-
tali ! utpote cujus Lux tenebris sepelitur ; hujus verò & se-
pulchra illustrat nostra. O magnum faustumque diem ! quo
nos liberati à nocte ; quo dies fugientes nostri nobis red-
duntur ! quo ipse JUSTITIÆ SOL oritur & superata Ec-
clipsi fulget in Cœli culmine Diemque facit lætissimum
longissimumque ultra omnem æternitatem ! quo AUCTOR
RESURRECTIONIS & VITÆ nostræ CHRISTUS pecca-
tis nostris, morteque devictis in carne nostra de morte re-
surrexit, nos redemptos ut vivificaret !

Beneficium hoc immensum mente devotissimâ agno-
scamus, & mortem hujus Corporis , quæ semita est nos
perducens per RESURRECTIONEM CHRISTI ex servi-
tute ad Libertatem ; vitamque immortalem , patienter fer-
re, contemnere & optare discamus : mortem peccati verò.
Verum Terribilium omnium Terribilissimum, fugiamus :
hæc mors enim & ipsam nostram Animam exanimat, mu-
tatque in Cadaver abominabile DEO : Spiritum ergò à SAN-
CTITATIS SPIRITU recipiamus , & cum CHRISTO
RESURGENTE hodiè ad Vitam resurgamus ; huncque
DIEM

DIEM, qui primus est Vitæ nostræ Natalis ; hoc æternæ
Salutis nostræ hodie recurrens Festum, *non in fermento ve-*
teri, nec in fermento Malitia & Versutia, sed in azymis sinceri-
tatis, fidei & veritatis, 1. Cor. V. pie devoteqve celebremus
GLORIAM PATRIS ET FILII ET SPIRITUS
MAJESTATEM INDIVIDUAM con-
cinentes.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus nostri, ipsa feria Paschatos
ANNO MDCC IX,



MINI, & procedent ex cumulo patefacto. Joh.
fed idem quod nunc habes, reparabitur Corpus
vultus, idem color & temperamentum, statura ea
violentus casus abstulit, dolor consumpsit, m
umque hausit, reparabitur omne; sed sine det
nævis, incorruptibile, in pulchritudine perfectio
Tum ex carne hac tua DEUM videbis, oculi hi t
& non alius Job 19. Imo jam venit ILLEDIES, quem
fecit, venit illud sacratissimum RESURRECTIO
STI Tempus, quod omnibus nostris malis solati
talia gaudia latissimæque spei possessionem ip
Venit DIES, qui Lucem intulit, discussis mor
O illustriorem Diem & præferendum ipsi Primo
tali! utpote cujus Lux tenebris sepelitur; hujus
pulchra illustrat nostra. O magnum faustumque
nos liberati à nocte; quo dies fugientes nostri
duntur! quo ipse JUSTITIÆ SOL oritur & si
clipsi fulget in Cæli culmine Diemque facit
longissimumque ultra omnem æternitatem! quod
RESURRECTIONIS & VITÆ nostræ CHRIS
tis nostris, morteque devictis in carne nostra
surrexit, nos redemptos ut vivificaret!

Beneficium hoc immentum mente devoti
scamus, & mortem hujus Corporis, quæ ser
perducens per RESURRECTIONEM CHRIS
tute ad Libertatem; vitamque immortalem, pa
re, contemnere & optare discamus: mortem p
Verum Terribilium omnium Terribilissimum
hæc mors enim & ipsam nostram Animam ex
tatque in Cadaver abominabile DEO: Spiritum
CTITATIS SPIRITU recipiamus, & cum
RESURGENTE hodiè ad Vitam resurgam

